



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 6. Latij fines.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

alia quæ longè plus pecuniæ absumpserunt, in munera duntaxat 137. milliones cum dimidio effudit annis quatuordecim. Vitellius paucis mensibus in luxuriam 56. milliones abliguriuit, ut hîc omittam Commodum, Heliogabalum, & alia eiusmodi luxuriæ portenta. Denique (vnde Romana potissimum magnificentia colligitur) Vespasianus apud Suetonium requiri putabat ad perfectam Imperij administrationem duo millia millionum & insuper quingentos milliones, ut vetus lectio dicat, ut noua & emendata, & dubio procul verior, ducentos quinquaginta milliones.

N V M. 6. *Latij fines.*

FINES antiquissimi Latij videntur fuisse Antium, Tiberis, & Liris, quod elicitur ex Dionys. Halic. lib. 1. postea tamen Latium diuisum est in Antiquum & Nouum, ac proinde diuersi statuti sunt limites.

ANTIQUI LATII termini non ultra Antium promoti sunt: deinde à Tarquinio Superbo captâ Sueffâ Pometiâ Volscorum primariâ, iidem fines ad Circeios extensi; meminit horum terminorum Plinius.

NOVI LATII finis fuit Liris Fl. *le Cariglian*, aut melius linea ducta ab vrbe Sinuessâ per montem Massicum vsque ad Apenninum, ut vnâ regione Volsci, Aurunci, Hernici, Æqui cum Latinis & Rutulis continerentur: certè 30. Latini nominis populos fuisse tradit lib. 6. Dionysius Halicarnassensis.

§. 2. *Descriptio Historica populorum Noui Latij.*

Eos iam appellauit Volscos, Auruncos, Hernicos & Æquos, nam de Latinis & Rutulis satis suprâ diximus.

N V M. 1. *De Volscis & Opicis.*

NOMEN & ORIGO. Scyllaci ὄλοισι dicuntur, Ptole. ὄλοισι. Quinam autem & vnde fuerint difficile est statuere. Hoc certum habuisse peculiarem linguam quæ opponitur Latinæ, vnde illud tritum *Oscè & Volscè fabulantur quia Latinè nesciunt*, apud Festum ex Titinij fabulâ, sed hæc à Sabinorum linguâ non videtur fuisse

E E c c iij